

IOSEPHUS KORPANTY
(KRAKÓW)

CICERO DE RE PUBLICA EIUSQUE RECTORIBUS QUID PUTAVERIT

Casimiro amico carissimo

SUMMARY: The paper analyses Cicero's attitude towards the Roman republic and its celebrated leaders, such as Cato Major. The opinion of Cicero on certain aspects of proper Republican leadership and the attitude of the populace towards them (e.g. the problem of *invidia*) are also examined.

KEYWORDS: Cicero, Roman republic, *De re publica*

De re publica administranda iam ante Ciceronem Romani disputaverunt. Cato Maior dixit: *censores qui posthac fiunt, formidulosius atque segnius atque timidius pro re publica nitentur* (Orat. frg. 50). In oratione *Contra Cornelium ad populum* habita legimus: *ecquis publicis negotis repulsior?* (frg. 204). In oratione *De praeda militibus dividenda* Cato queritur: *fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura* (frg. 224). Non est praetereundus Caius Lucilius: *commoda praeterea patria<i> prima putare, deinde parentum, tertia iam postremaque nostra* (Sat. inc. 1337-1338). Sed transeamus ad Ciceronem, qui scripsit: *Haec pluribus a me verbis dicta sunt ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de re publica disputatio; quae ne frustra haberetur, dubitationem ad rem publicam adeundi in primis debui tollere. Ac tamen si qui sunt, qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper atque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud*

*doctissimos homines et gloria; quos ego existimo, etiamsi qui ipsi rem publicam non gesserint, tamen, quoniam de re publica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo rei publicae munere. Eos vero septem, quos Graeci sapientis nominaverunt, omnis paene video in media re publica esse versatos. Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitatis aut condere novas aut conservare iam conditas (De re publ. I 12). Sed saeculo I ante Christum nato multi Romani in re publica versari nolebant, quia vitae metuebant memores illarum proscriptionum Sullanarum. Sat est verba Ciceronis afferre haec: vel acerbissima C. Marii clades principumque caedes vel eorum multorum pestes, quae paulo post secutae sunt (De re publ. I 6); Tum C. Flavius Pusio, Cn. Titinius, C. Maecenas, illa robora populi Romani, ceterique eiusdem ordinis non fecerunt idem quod nunc Cluentius, ut aliquid culpa suscipere se putarent recusando, sed apertissime repugnarunt, cum et recusarent et palam fortissime atque honestissime dicerent, se potuisse iudicio populi Romani in amplissimum locum pervenire, si sua studia ad honores petendos conferre voluissent. Sese vidisse in ea vita qualis splendor inesset, quanta ornamenta, quae dignitas; quae se non contempsisse sed ordine suo patrumque suorum contentos fuisse et vitam illam tranquillam et quietam, remotam a procellis invidiarum et huiusce modi iudiciorum sequi maluisse (Pro Cluentio 153). In verbis supra allatis magni momenti est *invidia*¹. Igitur initio libri I Cicero Epicuri sectatores vituperavit, quod sapientibus suaderent, ne rem publicam capesserent. Cuius rei causas reddebant has: vir in republica versatus pacem animi perdit et amicitias colere prohibetur. Sed magnis periculis instantibus ad rem publicam accedere fas erat. Quam opinionem Cicero risit: *Maximeque hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod, qui tranquillo mari gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec unquam scire curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus (De re publ. I 9-11)*. Omnes fere philosophi Graeci de re publica gerenda tractaverunt. Cicero se Academiae favere semper dixit, sed aliarum scholarum quoque placita bene novit. Fuerunt viri docti, qui putarent Ciceronem stoicis, praecipue Panaetio,*

¹ Cf. J. Hellegouarc'h, *Le vocabulaire Latin des relations et des partis politiques sous la republique*, Paris 1972, p. 196 sq.

multa debuisse, qui Scipionis Minoris amicus fuit. Sed credendum est iis, qui dicant Arpinatem Platoni et Aristoteli plurima debuisse. Non est obliviscendum Ciceronem Romanum in re publica versatum Romanorum opiniones non neglexisse. Sat sit Scipionem Africanum Minorem audire, quem Arpinas in dialogo *de re publica* loquentem induxit: *Sed neque his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines reliquerunt, neque ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo. Quam ob rem peto a vobis, ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, sed ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticis praeceptis multo magis eruditum quam litteris* (*De re publ.* I 36).

In libris V et VI dialogo *De re publica* Cicero virum rei publicae regendae peritum tractavit, quem „principem civitatis” (*De re publ.* V 9). moderatorem rei publicae (*De re publ.* V 8) et rectorem rerum publicarum (*De re publ.* V 6) appellavit. Saeculo XX ineunte alii putaverunt Ciceronem credidisse necesse esse, ut res publica regno cederet, alii autem Arpinatem rei publicae fidelem mansisse, principem autem politicum optimum, unum ex multis nobilebus fuisse, qui moribus emendatis civitatem gubernabit. Quam opinionem plurimi secuti sunt.

In dialogo *De re publica* Cicero commemorat politicos celebres, qui Romae hostes maximos devicerunt. Cato Maior exemplum est civis, qui otiosus vitam Tusculi degere potuit, sed laborum et periculorum immemor in re publica versatus est. Multi alii ita faciunt, quia tanta est necessitas virtutis generis hominum propria (*De re publ.* I 1). Sed Cicero putavit a politicis totius generis humani opes augeri (*De re publ.* I 3). Arpinas sine dubio speravit populos devictos a Romanis bene tractatum iri².

In rebus, quibus operam damus, gravissima virtus est, quae imprimis in civitate regenda elucet³. Virtuti et labori opponuntur: *inertia*,

² Cf. S. Augustinus, *De civ. Dei* 19,21, ubi Ciceronis verba, quae asservata non sunt, a Sancto summatim allata sunt.

³ *De re publ.* I 2: *virtus in usu sui tota posita est; usus autem eius est maximus civitatis gubernatio.*

*desidia, ignavia*⁴. Apud multos scriptores virtus militum fortium propria est. Ad virtutem accedit industria. Labor quoque virtutis socius est: *Rhet. Herr. IV 31: Alexander Macedo summo labore animum ad virtutem a pueritia confirmavit.*

Sed homines stulti putant solos homines divites et bono genere natos virtute excellere. Cicero autem docuit rem aliter se habere: *Hoc errore vulgi cum rem publicam opes paucorum, non virtutes tenere coeperunt, nomen illi principes optimatum mordicus tenent, re autem carent. Nam divitiae, nomen, opes vacuae consilio et vivendi atque aliis imperandi modo dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae, nec ulla deformior species est civitatis quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur. Virtute vero gubernante rem publicam quid potest esse praeclarius? cum is, qui inperat aliis, servit ipse nulli cupiditati, cum, quas ad res civis instituit et vocat, eas omnis complexus est ipse nec leges inponit populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam ut legem praefert suis civibus* (*De re publ. I 51-52*). Cicero putat rei publicae rectores contemporales imitari viros antiquos patriae amantes et de politicorum munere docet haec: *Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic huic moderatori rei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo* (*De re publ. V 8*). Politicus autem ipse debet laudem et decus expetere, ignominiam et dedecus fugere non propter poenae metum, sed verecundia ductus. Qua re fiet, ut pudor cives non minus a delictis arceat quam metus (*De re publ. V 6*).

Videamus de iustitia et pietate, quae politicorum virtutes erant magni momenti. Iustitia in numero quattuor virtutum summarum fuit, cuius proprium fuit *suum cuique tribuere*⁵. Romani putabant sine iustitia civitatem regi non posse, nullam esse concordiam⁶.

Cicero de auctoritate saepe disputavit. Apud auctores Romanos legimus auctoritatem nasci e magnis rebus et magistratibus gestis atque

⁴ Cf. Cic. *Sest.* 138: *sed mihi omnis oratio est cum virtute non cum desidia*; Balb. 51: *itaque et civis undique fortis viros adsciverunt et hominum ignobilium virtutem persaepe nobilitatis inertiae praetulerunt*; Publilius Syrus I 42: *Inertia indicatur, cum fugitur labor.*

⁵ Cf. Cic. *De re publ.* I 64.

⁶ Cf. Cic. *De re publ.* II 69-70.

ex aetate provecta. Libro I dialogi *De re publica* Cicero tractat de politicis, qui *consilio atque auctoritate rem publicam regunt* (*De re publ.* I 3) atque putat ex optimorum civium consiliis fortunam civitatis pendere (*De re publ.* I 51). Consilium autem definivit hoc modo: *Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio* (*De inv.* I 36). Apud scriptores Latinos prope consilium invenimus sapientiam, rationem et prudentiam. Quibus verbis opponuntur: temeritas, imprudentia et audacia. Cum in civitate regnat consilium, nullae sunt libidines, irae, avaritia.

Consilio propinqua est sapientia, quam Cicero hoc modo defini- vit: *Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia* (*De off.* II 5). Arpinas putavit sapientiam vivendi artem esse (*De fin.* I 42) atque rei publicae regendae⁷. Politicorum sapientia gignit continentiam, temperantiam et clementiam. Talis sapientia proxima est prudentiae. Cicero putavit prudentia fieri, ut homines bona a malis discernant. In rebus ad civitatem pertinentibus prudentia ad usum accedit, cui theoretica opposita sunt.

Sed de clementia plura dicenda sunt. Cicero scripsit Numam Pompilium, qui Romulo successit, religione, id est deorum cultu, et clementia Romanorum animos imbuisse. Qua re factum est, ut duri animi Romanorum mitescerent. (*De re publ.* II 26-27). Notissima est illa Caesaris clementia, quem Octavianus Augustus secutus est, quamquam patrem suum necatum crudeliter ultus est. Anno 27 clementia in clu- peo virtutis una cum virtute, iustitia et pietate scripta est⁸. Politici Romani humanitas quoque propria fuit, cuius sensus saepe accedit ad clementiam, misericordiam et mansuetudinem⁹. Cicero scripsit humanitatem mansuetudinem, religionem et clementiam a Numa Pompilio Romanis insitas esse¹⁰. Arpinas paucis locis commemorat Graecorum virtutes summas, ne virtutes Romanorum proprias neglegere videretur. Raro sapientiam laudat, quam politicorum propriam virtus sequebatur, quia in

⁷ Cf. Cic. *De re publ.* III 47: *si enim sapientia est, quae gubernet rem publicam [...]*

⁸ Cf. Augustus, *Res gestae* 6,18-20.

⁹ Cf. exempli gratia verba, quae sensu vicina sunt: *Rhet. Her.* II 50: *si de clementia, humanitate, misericordia nostra [...] aperiemus.*

¹⁰ Cf. Cic. *De re publ.* II 26-27.

memoriam revocabat philosophiam. Fuerunt enim, quibus illa suspecta vel etiam nocens videretur. Quam rem confirmat auctor *Rhetoricae ad Herennium*, II 35: *Philosophia vitanda est, adfert enim socordiam atque desidiam*¹¹. Sapientiam in agendo positam vel politicam Cicero laudavit: *De re publ.* I 33: *Eas artis, quae efficiant, ut usui civitati simus. Id enim esse praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium puto; De re publ.* III 24 *Sapientia iubet augere opes, amplificare divitias, proferre finis [...] imperare quam plurimis [...] pollere, regnare, dominari.*

¹¹ Cf. Pseudo-Sallust. *Ad Caesarem de re publ.* II 12,5-6: *atque ego te oro hortorque ne clarissimus imperator Gallica gente subacta populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate ac per summam socordiam dilabi patiaris.*